Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38235
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

ITEM AT EXPOSITIO: Existimo enim quod non sunt condigne
passiones. et cetera; Hinc uult futuram gloriam commendare ut pre-
sentes pressuras facilius toleremus; ad futuram gloriam que re-
uelabitur in nobis; Ideo dicit reuelabitur. quia modo abscondita est
cum Christo in deo. et nondum apparuit quid erimus; scimus enim quia cum appa-
ruerit similes ei erimus. quoniam uidebimus eum sicuti est; nam expectatio crea-
turae; Diuersi hunc locum diuersis modis exponunt. siue omnis crea-
tura resurrectionis tempus expectat. quia tunc in melius commutabitur.
quando erit caelum nouum. et terra noua. et tunc id est in tempore resur-
rectionis reuelatio apparebit filiorum dei; siue omnis creatura id est
rationalis. angelica hoc in hominibus expectat impleri; petrus enim dicit
angelos gloriam desiderare sanctorum; uanitati enim creatura subiecta est.
id est creatura humana praeuaricationi est peccando subiecta. non uo-
lens. id est non propria uoluntate. sed a serpente decepta spe illa qua
audierat eritis sicut dii scientes bonum et malum; sed propter eum qui subiecit in spe;
quae est ipsa spes. audi sequentia quia et ipsa creatura liberabitur
a corruptione seruitutis. quam audiuit quando ei dominus ait. terra es
et in terram ibis. quae intellegitur corruptio mortis; in libertate ut dominus ait.
si uos filius liberauerit uere liberi eritis. gloriae filiorum dei;
soli enim homines. non alia inrationabilis creatura gloriam filiorum dei
merebitur obtinere; scimus enim quod omnis creatura ingemescit.
et parturit usque adhuc; Non caelum. non terra. non mare. non aliqua
inrationabilis creatura sed angeli. qui sic gaudent super penitentiam
agentes. ita dolent super conuerti nolentes. siue etiam omnis creatura pro-
missa cum ecclesiae fidelium populi intelligunt. ut illud praedicate euangelium
omni creaturae; non solum autem illa. Id est angelica. quae nobis benigniore;
tilla hominum quae plebeiae et indocta sed etiam nos ipsi discipuli Christi qui
sumus primitiae adquisitionis. et praeclara charismata uelut pri-
mitiae spiritus unde mundum ditarem accepimus expectamus redemptione
corporis nostri. id est totius ecclesiae. quae in aeternum est regnatura crea-
tura cum Christo; SEQUENTIA SANCTI EUANGELII SECUNDUM LUCAM; Estote ergo misericor-
des sicut et pater uester misericors est; Misericors est deus super ingratos etiam
et malos. et multiplici scilicet sua misericordia qua etiam iumenta saluat. illis tem-
poralia bona largiendo. uel illis caelestia dona singularis gratiae qua elec-
tos solum glorificat inspirando. Sed siue hoc. siue illud. siue utrumque;
intellegas. magna dei bonitate fit; Quae nobis imitanda praecipitur. si filii dei
esse uelimus; Nolite iudicare. et non iudicabimini; nolite condem-
nare. et non condempnabimini. Hoc loco nihil aliud nobis precipi